PROGRAMMA CRITICVM

DE
GENVINA LECTIONE AC SCRIPTIONE
VOCIS

תְּסִידִיךָ

ΤΟΝ ΟΣΙΟΝ ΣΟΥ
Pſalm. XVI, 10. coll. Actor. II, 29. et XIII, 35. ſeqq.

QVO
AD BENEVOLE AVDIENDAM
ORATIONEM
QVA
SERENISSIMIS
SAXONIAE DVCIBVS
CLEMENTISSIMIS
HVIVS ACADEMIAE
NVTRITORIBVS
PRO
PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARIA
PROFESSIONE
IN INCLYTA HAC ACADEMIA
CLEMENTISSIME SIBI DECRETA ET RITE COLLATA
SVBMISSISSIMAS PVBLICASQVE GRATIAS ACTVRVS



AVDITORES OMNIVM ORDINVM AC
DIGNITATVM SPECTATISSIMOS
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ET SVMMA HVMANITATE
INVITAT

IOH. LEONH. RECKENBERGERVS.

IENAE, LITTERIS IOH. CHRIST. CROEKERI, MDCCXXXX.

בעה״י

ANXIVS saepe ac suspensus hac cura criticorum animus fuit: *quid de variantibus codicis sacri vtriusque foederis lectionibus habendum sit?* Non defuere, quibus arrisit sententia contendentium: *diuersas veteris testamenti lectiones loco diuinae inspirationis mouendas esse a).* Sed etiam non defuere, qui crediderunt, *istis lectionibus*, saltem *nonnullis illarum*, *inspirationis diuinae gloriam esse concedendam b).* Alii *scriptoribus sacris lapsus et artis grammaticae imperitiam*, vel *lapsus* tantum *librariis cum* IOHANNE CLERICO tribuerunt *c).* Iudaei ea, *quae leguntur*, *quamuis non scribantur*, *et ea*, *quae scribuntur*, *quamuis non legantur*, pro *traditione* MOSIS ex monte Sinai habent *d).* Nihilominus R. DAVID KIMCHI illarum *originem* ex *discrepantia codicum* deriuat *e).* Meam de hac re sententiam in

 compen-

---

a) IOHANNES ANDREAS DANZIVS ita de hac re statuit: *Masoretharum placita* CHRISTO *esse opposita, ita vt mendacii eum arguere videantur. Hinc indigna nomine christiano committeret, qui illa pro diuina inspiratione haberet.* Vid. haec illius verba in *corollariis* dissertationi ad Gen. I, 26. annexis.

b) Vid. de SAM. FRID. BVCHERO *die Beyträge zu den gelehrt. Leipz. Zeit.* Part. I. pag. 17. Inter hos nomen suum quoque profitetur doctissimus IO. LIGTHFOOT. in *Miscellaneis* cap. XIV.

c) Vid. RAMBACHII *institut. hermeneut. sacr.* p. 413. et 414. libr. III. cap. I. §. 12. IV.

d) In tract. talmud. *Nedarim* fol. 37. 2.

e) In *praefat.* in *prophet. prior.* גם אכתוב טעם כתוב וקרי וכתוב ולא קרי וקרי ולא כתיב כאשר אוכל לתת טעם

compendio de *doctrina de accentibus hebraeorum f)* expoſui. Sed interea temporis in aliquem ſcripturae ſacrae locum incidi, *illis* qui fauere videtur, qui *variantibus codicis ſacri lectionibus auctoritatem originemque diuinam* conciliare ſtudent. Eſt hic ille locus, quem in frontiſpicio ſtatim collocaui ex Pſ. XVI, 10. quemue SALOMO GLASSIVS *g) illis* annumerat, *in quibus quaedam abundat litera.* In hoc ſcripturae loco literae חסידיך hisce cum punctis vocalibus חֲסִידֶיךָ *ſancti tui* cum *ſuffixo* ſecundae pluralis maſculini generis legi poſſent. Huic lectioni non *ſeries textus*, non *linguae genius* repugnat. Namque *diſtributiua ſignificatio*, quam verbum pluralis numeri in conſtructione cum numeri ſingularis nomine, et nomen plurale cum verbo ſingularis numeri efficit, nota eſt. Proinde, vi huius linguae hebraeorum proprietatis, *h)* hanc vocem חֲסִידֶיךָ verteres: *vllum ſanctorum tuorum videre corruptionem.* Sic *ſeries* orationis textus noſtri haec eſſet: *non derelinques animam meam in*

לשניהם כל אחד ואחד במקומו ונראה כי המלות האלה נמצאו כן לפי שבגלות ראשונה אבדו הספרים ונטלטלו והחכמים יודעי התורה מתו ואנשי כנסת הגדולה שהחזירו התורה ליושנה מצאו מחלוקת בספרים והלכו בהם אחר הרוב לפי דעתם ובמקום שלא השיגה דעתם על הבירור כתבו האחד ולא נקדו או כתבו מבחוץ ולא כתבו מבפנים וכן כתבו בדרך אחר מבפנים ובדרך אחר מבחוץ:

Deſcribam quoque, inquit, *rationem ſcriptionis et lectionis ; etiam ſcriptionis et non lectionis : itidem lectionis et non ſcriptionis : Et potero dare rationem amborum iſtorum, Vniuscuiusque in loco ſuo : Videturque quod Voces iſtae ita deprehendantur, eo quod in deportatione priori periêre libri et ablati ſunt, ſapientesque ſcientes legem mortui ſunt ; Viri autem ſynagogae magnae, qui reſtituerunt legem in priſtinum ſtatum, deprehenderunt diuerſitatem in libris, ideo in illis ſecuti ſunt multitudinem iuxta ſententiam illorum, et illo in loco in quo non aſſecuta eſt ſententia illorum perſpicuitatem : ſcripſerunt Vnum, ſed non punctarunt, aut ſcripſerunt extrinſecus* (in margine) *et non ſcripſerunt intrinſecus* (in textu) *ſicque alia ratione in textu et alia ratione in margine ſcripſerunt.* Addatur IO. CLERICI *diſſ. praelim. II. in Pentat.* §. 8.

f) In *diſputatiuncula* de *diuina accentuum codicis ſacri V. T. origine* §. XLVI-LIV. pag 31-37. ibi praemiſſa.

g) In *Philologia ſacra libr. I. tract. I. col. 6.*

h) Vid. SALOMO GLASSIVS in *Philolog. ſacr. libr. III. tract. III. can. LII. et LIII.* IO. ANDR. DANZIVS in *interprete* §. 80. II. 1. *Synops.*, ſed *mai. edit.* §. 114. et §. 115. Item §. 81. 2., *mai. edit.* §. 115.

in inferioribus terrae partibus (in inferno), *non permittes, vt vllus e ſanctis tuis videat corruptionem.* Sed hac ratione *res ipſa* eſſet falſiſſima. Sancti enim Dei homines tantum non omnes mortui ſunt et *putruerunt*, ſeu *corruptionem viderunt.* Et ſi vel maxime contenderes, hiſce verbis *peculiarem* ineſſe *promiſſionem*, aliquos ſaltem pios concernentem, ita vt haec constructio *partitiuam ſignificationem* haberet, cuiusmodi *exempla* itidem in codice ſacro deprehenduntur *i)* : tamen *antecedentia* huius commatis verba : *non derelinques animam meam* cet. cum *verbis* eiusdem commatis *conſequentibus : non permittes, vt aliquis ſanctorum tuorum videat corruptionem*, non concordarent. *Priora* enim verba de vnico quodam ſingulari indiuiduo agunt, *poſteriora* de pluribus. Verum ſi et haec horum textus verborum tibi placeret verſio : tamen id ipſum in hac obſeruatione Maſoretharum non ſine cauſa, ſed prudenter, annotatum eſſet. Inde ſua ſponte alium hiſce verbis ineſſe *ſenſum* conſequitur, quem lectio in margine poſita ſuppeditat, quae diuinam adeo arguere videtur originem *k)*. Ipſe DAVID, de quo forte, inductus ipſa pſalmi huius inſcriptione v. 1., hunc agere pſalmum exiſtimares, teſte LVCA, vel PETRO, Act. II, 29. mortuus eſt, et *corruptionem vidit*, qui tamen hunc iuxta ſenſum eam experiri non debuiſſet, etiam *alii* e iudaeorum maioribus *ſancti* a vermibus in ſepulchro ex communi mortalium lege abſumti ſunt. Ergone *litera* י *vt abundans* hoc loco conſideranda eſt, et vt *otioſa* prorſus *abiicienda* eſt, an vero thronus *diuinae originis* huic ad minimum lectioni concedendus eſt ? *Neutrum*, ex noſtra quidem ſententia, tuto, recte ac ſolide ex hiſce praemiſſis elicitur.

Nihil hucusque vrget, vt meam de hac re ſententiam mutem, quam alibi *l)* pluribus probatum iui, ſcilicet, quod *variantibus codicis ſacri V. T. lectionibus diuina inſpiratio abiudicanda, iiſque interpretationis ratio vindicanda ſit.* Itaque hoc loco mihi euincendum erit, quod *haec nota marginalis ſaltem interpretationis rationem habeat.* Huic praeterea

i) Vid. IO. ANDR. DANZII *ſynopſ. interpr. ebr. chald.* §. 80. II. 2. not. x.

k) MATTHAEVS HILLERVS, Log. Metaph. et Lingg. Or. Prof. Tubing., de *arcano Kethib et Keri*. Tub. CIↃIↃCXCII. in 8. pag. 297. *Vtramque lectionem* coniungit ; ſed neque *vocis ſignificationi*, neque *textui* ſatisfacit, vertens : חֲסִידְיךָ *cui te benignum exhibes;* item חֲסִידֶיךָ *quibus te benignum exhibes.* Non permittes, vt quos benignitate proſequeris, videant corruptionem. Pro quo PETRVS : οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθορὰν, κ. τ. λ. Act. II, 31. Aliter IOH. COCCEIVS in *lex.* ad vocem חסיד ſentit, ſcribens : *Keri lectio hic potius ſequenda, quam Cetib literae, quae exſtant*, cetera.

l) In *diſputatiuncula* de *diuina accentuum origine*, compendio *doctrinae* de *accentibus hebr.* praemiſſa. §. 48.

hoc subiungam, quod *haec marginalis obseruatio nihil in se contineat, quod hebraeorum linguae genio aduersaretur.* Illi, quibus diuina sacri codicis auctoritas extra dubitationis aleam posita est, lubentes concedent, quod notae nostri textus marginali SANCTVS ille SPIRITVS, quo dictante et impellente codex sacer in literas relatus est, in *nouo foedere* summam auctoritatem conciliauerit. Nec est, quod obiicias, LVCAM actorum auctorem secundarium *versionem septuaginta viralem* hoc in loco secutum esse reddentem: τον ὅσιόν σȣ, *sanctum tuum.* Nam scriptores sacri *noui foederis*, verba *versionis septuaginta interpretum* adducentes, illos illis in locis correxerunt, in quibus illi a mente SPIRITVS SANCTI recesserunt, cuiusmodi exempla passim obuia sunt. Iam vero huiusmodi correctio in nostro hoc loco facta non est, vnde satis constat, quod haec lectio *septuaginta interpretum* ad mentem diuinam fuerit. Ad haec Act. II, 25. expresse dicitur: Δαβὶδ λέγει εἰς ἀυτὸν, DAVID *dicit de ipso m)*, scilicet IESV NAZARENO, v. 22. vnde patet, quod noster *psalmus* de MVNDI SALVATORE agat *n)*. Inde tamen non sequitur, notae in margine hic positae diuinam originem tribuendam esse: alias et hoc sequeretur, quod verba cuiuslibet interpretis, quibus mentem scriptoris sacri exprimit, diuinae originis sint, quod nemo, vt opinor, dixerit. Facile inducor, hanc obseruationem voci חסידיו in margine hac de causa additam esse, vt et vera huius vocis lectio conseruaretur; et genuina mens declararetur. Facile enim fieri potuisset, vt inde magnus error prouenisset: si legissemus חֲסִידֶיךָ *sancti tui.* Agit enim hic psalmus de CHRISTO, seu de *Messia* generis humani redemtore: sistit eius *mortem resurrectionem*que, impedientem quominus *Messias* putrefactionem et corruptionem experiretur, quam DAVID aliique *sancti* sunt experti. Act. II, 29. XIII, 35. 36. 37. Namque mens scriptoris sacri in psalmo huc rediisset: DEVM *non permissurum, vt exanime corpus Messiae in partibus terrae inferioribus permaneret, neque vt vllus e sanctis eius, seu piis hominibus, experiretur corruptionem.* Ex hoc ad minimum inferri potuisset, *hunc psalmum de totius terrarum orbis seruatore non agere.* Forte iam istis temporibus illa punctorum ratio, quam deinceps explanaturi sumus, in desuetudinem venerat, vt eam hic in margine merito annotarent. Hac vice mihi perinde est, quam quis de *hebraeorum punctis vocalibus* sententiam amplexus fuerit, siue illis *diuinam*, siue *humanam* originem concesserit *o)*. In

m) *Exempla*, quae euincunt, quod haec *phrasis* in codice sacro ita capiatur, vide in SALOM. GLASSII *philol. sacr. libr. III. tract. VI. can. V. 1.*

n) Vid. LVTHERVS in *Ps. XVI. Tom. II. opp. Lat. Ien.*

o) Vid. AVGVSTI PFEIFFERI *introductio in orientem* diff. IV. de *vocalibus et accentibus hebraeorum* qu. 2. vbi *auctores* huc spectantes copiose in medium profert.

In hoc praesenti negotio ostendisse sufficiet, quod in hoc punctorum positu nil contra *hebraeorum linguae genium* sit commissum. Illa, quae hic expressa in textu puncta legis, ad notam marginalem, in qua *Iod abundare* perhibetur, suam relationem habent, adeoque sequentes consonas cum his vocalibus punctis legas חֲסִידְךָ *sanctum tuum*, apud *septuaginta interpretes*, et in textu *noui testamenti*: τὸν ὅσιόν σȣ. Sic, inquis, literae a DEO sacris scriptoribus non sunt inspiratae, cum nobis literam י e textu abiicere liceat? Itane Iudaei non sibi duxere religioni diuinae *legi* vel *addere* quicquam, vel *detrahere*? Videsne iudaeorum audaciam, qui IESV NAZARENO asserenti: *nullum iota de diuina lege periturum* Matth. V, 18. in faciem contradicere et eum mendacii arguere sustinent, huiusmodi exempla in medium proferentes, in quibus literam י desiderari annotatum est? Verum ita lectionis huius marginalis auctoribus summa fieret iniuria. Nam si fuerunt iudaei, illis nil quicquam mutare hac in re vi diuinae legis *p)* licuit. Imo vero legem potius contra Christum huiusque asseclas, quantum in illis erat conseruarunt, quam ausu quodam temerario deprauarunt. Vid. HADR. RELANDVS in *Palaestina libr.* III. pag. 644. *q)* Ergone, instas, vocales, quae sunt diuinae originis, interciderunt? ast ego rursus: literae codicis sacri veteris testamenti nihilominus a DEO sunt inspiratae, non obstante, quod genuina vocalium lectio in margine posita sit, nec litera י in textu exstans abiecta est, sed saltem in margine ostensum, quaenam sit absque illa lectio, vsu forte tunc temporis receptior, qua sensus vocis legitimus ad posteritatem est propagatus; vocales hic omnino adsunt inuiolatae, et incorruptae, vt mox in sequentibus ostensuri sumus. Quod vox חסידיך in *singulari* numero cum *suffixo* secundae masculini singularis legenda et vertenda sit: *sanctum tuum*, non *textus* solum *series* et *parallelismus* noui foederis, sed etiam *antiquae versiones* euincunt. *Textus* quidem *series* et scripturae sacrae *parallelismus*, vt supra iam monstrauimus, hoc vel imprimis in aprico ponunt; *versiones* autem *antiquae* hoc comprobant, quod et olim haec lectio lectioni literarum possibili anteposita sit. *Chaldaea paraphrasis* in *bibliis Basileensibus* IO. BVXTORFII hanc vocem l. c. reddit per זכאך *iustum tuum*. *Alexandrini interpretes* idem vocabulum graece reddunt: τὸν ὅσιόν σȣ, quorum lectionem suo ipse SPIRITVS SANCTVS calculo approbat. Ab hoc sensu et *vulgatus interpres* non recedit hoc comma hac ratione exprimens: *non derelinques animam*

p) Deut. IV, 2. XII, 32. XXVIII, 14. et Prou. XXX, 6. Addantur RAMBACHII *institut. hermeneut. sacr. libr.* I. *cap.* II. §. 6. **

q) Sub voce *Bethlehem*, ego, scribit, *nihil a iudaeis erasum esse ex codice hebraeo existimo. Maior est eorum veneratio et superstitio erga sacrum codicem, quam vt illum vitiasse consulto et de industria censeri possint, tantum vt hostibus suis, id est nobis, nocerent*, cet.

mam meam in inferno : nec dabis SANCTVM TVVM *videre corruptionem.* In *Syriaca* noui testamenti *versione* verba Act. II, 27. et XIII, 35. etiam ita transferuntur, vt vox חסידיך in *numero singulari* legatur : *non concedes* SANCTVM TVVM *videre corruptionem.* Quae igitur literarum punctorumque vocalium hoc in loco et hac in voce ratio sit, breuiter, saluo tamen aliorum de hac re iudicio, exponam. Non in *sacra* solum *scriptura,* sed etiam in *profanis* iudaeorum *scriptis,* exempla deprehendo, quae, vt puto, euincunt, quod *litera* י *actualis cuiusdam literae motus*, seu *schuatis*, vt cum Grammaticis loquar, *h. l. simplicis nota sit.* Iam non de illo soliciti sumus, an haec antiqua punctorum ratio, adhuc in codice sacro ex quorundam sententia superstes, fuerit, quae in literis, quas potissimum *matres lectionis* dicunt, omnis sita fuerit. Neque etiam hoc nos iam magnopere habebit, quomodo contigerit, vt illa punctorum ratio in vsu esse desineret. Hoc pro fine nostro hic ostendisse sufficiat, quod ex ipsa hac marginali nota, et ex euidentibus aliis scripturae sacrae locis et exemplis pluribus profanis, patescat, quod illa punctorum antiqua ratio cognita olim fuerit, sed successu temporis minus vsitata esse ceperit, quae causa fuit, cur nostro huic loco hanc obseruationem adiicerent. Ast cum prolixiori cuidam disquisitioni locus hic non sit: nostro fini satisfecisse putabimur, si tot ex sacra scriptura et ex profanis scriptoribus exempla produxerimus, quot sufficere critico huic negotio crediderimus. In *codice sacro veteris testamenti,* tam in *idiomate hebraeo*, de quo hic potissimum quaestio est, quam in *chaldaea dialecto* huiusmodi exempla, quaedam omni forte maiora exceptione, consignata offenduntur. Sic in *codice hebraeo* Zach. I, 4. legitur vox וּמַעַלְילֵיכֶם *et opera vestra*, cui vocabulo haec in margine adiecta est obseruatio : יתיר י׳ *litera Iod hoc loco redundat.* Forsan in hac obseruatione respectus habetur ad formam huius vocis v. 6. huius capitis occurrentem וּכְמַעֲלָלֵינוּ *et secundum opera nostra ?* Sed hoc modo puncta grammaticis inepta essent, quod non omnibus aeque placeret philologis. Verum si dixerimus, literam י et hoc loco *matrem lectionis* esse, nihil, quod a veritate alienum esset, proferemus. Itaque vi huius asserti scriberes legeresue וּמַעַלְלֵיכֶם, vt haec vocis forma Ier. IV, 4. legitur, vel cum litera י, vt matre lectionis, inter duo ל inserta, vt haec forma huius vocis in textu exstat וּמַעַלְילֵיכֶם, manente eodem sensu. Deinde suppetit mihi locus Ier. XV, 16. in quo literae דבריך in textu scriptae sunt, quas punctis vocalibus destitutas דְּבָרֶיךָ, vt huius vocabuli forma statim praecedit, legeres, adeoque verteres : *verba tua.* Sed nota in margine adiecta vult lectionem huius vocabuli absque litera י, cum suffixo secundae personae masculini generis singularis numeri, nempe דְּבָרְךָ *verbum tuum.* In hoc certe loco *vtraque lectio* sensum pareret haud incommo-

commodum r). Nam si hoc vocabulum iuxta literas in textu scriptas legeres דְּבָרֶיךָ : hic sensus verborum textus esset : *tunc erit verba tua mihi gaudium et laetitia cordis mei*, hoc est *vnumquodque verborum tuorum*, cetera. Quodsi hoc vocabulum iuxta notam in margine positam legeris cum suffixo secundae singularis masculini generis דְּבָרְךָ *verbum tuum:* sensus erit : *tunc erit verbum tuum mihi* (meum) *gaudium et laetitia cordis mei*. Hac in re habebis *versiones* aliquas *antiquiores* tibi consentientes, vt *septuaginta* illos *seniores* Alexandrinos hunc locum transferentes : καὶ ἔςαι ὁ λόγος σȣ ἐμοὶ εἰς εὐφροσύνην καὶ χαρὰν καρδίας μȣ. Huius versionis verba *versio vulgata* hoc modo prosequitur : *et factum est mihi verbum tuum in gaudium et laetitiam cordis mei*. Chaldaea *paraphrasis* singularem numerum etiam his in verbis obseruat ea sic exprimens והוה מימרך לי לביע ולחדות לבי *eritque verbum tuum mihi in laetitiam et gaudium cordis mei*. Et cum locus Ps. XVI, 10. lectionem in margine conspicuam vrgeat, non video quid obstet, quominus et illam, vt modo dictum est, etiam hoc in loco sequamur. Verum obiicies : *hac ratione literas in textu positas deseri, et in margine ab hominibus adiectas arripi.* Sed per marginalem huiusmodi obseruationem genuina vocis in textu positae lectio subministratur, et scriptae in textu literae asseruantur. Eadem vox eademque constructio verbi singularis numeri Iud. XIII, 17. occurrit, vbi *Manoahh* ex angelo quaerit : *quodnam est nomen tuum?* vt, כי יבא דבריך *cum aduenerit verbum tuum, honoremus te*. Hic in margine *litera* י *abundare* dicitur et forma suffixi singularis numeri asseritur. Nihilominus haec verba ex *significatione distributiua* verti possent : *cum venerit quoduis verborum tuorum*, qua tamen distributiua significatione opus non est, si literam י, ex nostra quidem sententia, pro *matre lectionis* literae ר reputaueris. Et ita vertunt *Vulgatus*, *quod est tibi nomen ? vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te*, et *Alexandrini interpretes* : τί τὸ ὄνομά σοι, ὅτι ἔλθοι τὸ ῥημά σȣ, καὶ δοξάσομέν σε. *Paraphrastes Chaldaeus* ad hunc locum haec verba substituit : ארי יתקימון פתגמך *cum seruata fuerint verbum tuum*. Ad hunc adductum ex Iud. XIII, 17. locum *Masora* textualis *parua* haec notat : ה׳ דברך ק׳ vocem דְּבָרְךָ quinquies legi. Atque hoc vocabulum דבריך cum hisce punctis adhuc aliquoties in codice

r) Ita certe R. DAVID KIMCHI in *comment. ad h. l* sentit : ויהי דבריך כתיב ביוד וקרי דברך בלא יוד לשון יחיד כמו שאמר ויהי והכתוב דרך פרט והקרי דרך כלל: SIT VERBVM TVVM. *Vox* דבריך *scribitur cum* י *sed legitur* דברך *absque* י *in singulari numero, quia dicit* ויהי. *Proinde Cethibh per modum particularitatis, et Keri per modum vniuersalitatis* (se habet).

dice facro veteris teſtamenti occurrit, vbi Maſorethae ſimili ratione obſeruationes ſuas in margine adiecerunt. Ita occurrit 1 Reg. VIII, 26. יאמן נא דבריך *verificetur quaeſo verbum tuum.* Niſi rurſus diſtributiuam conſtructionem praeferre velis *s)* : dicendum tibi erit, formam verbi ſingularis numeri יאמן vrgere lectionem vocis דבריך in ſingulari numero, vt *Maſorethae* id ipſum annotarunt, adeoque, ex noſtra quidem hypotheſi, litera י lectionem praecedentis literae ר actualem indicat. Alias enim dicendum legendumque fuiſſet יֵאָמְנוּ נָא דְּבָרֶיךָ *verificentur quaeſo verba tua.* Eadem ratio eſt loci 1 Reg. XXII, 13. יהי נא דבריך *ſit quaeſo verbum tuum,* vbi rurſus verbum יהי ſingularis numeri, vocem ſingularis numeri דברך, quam marginalis nota interpretationis gratia ſubſtituit, oppido requirit, niſi ſine praegnanti cauſa te ad conſtructionem diſtributiuam recipere velis. Idem a *Maſorethis* Eſr. X, 12. ad vocem כרבריך in margine; et Pſ. CXIX, 147. ad vocabulum לדבריך annotatur. Ad eiusdem pſalmi verſum 130. *maſora* textualis *parua* haec habet : ג׳ מל באב *ter vox* דבריך *in alphabetho ſcribitur* ; vbi *maſora* textualis *magna* haec addit : *quod huius rei memoriale habeatur in verbis :* חרקי וו Pſ. CXIX, 57. Thren. III, 24. et צמתתני קנאתי Pſ. CXIX, 139. etiam *maſora* textualis *parua* ad 1 Reg. VIII, 26. obſeruat : *octies ſcribi* דבריך *et legi* דברך, vbi *paraphraſtes chaldaeus* in numero multitudinis per פִּתְגָמָיָא vertit.

Nec aliis huiusmodi exemplis deſtituimur in aliis hebraei codicis vocibus, quae hanc iſto tempore vſitatam punctationem ſatis, vt opinor, euincunt. Sic textus Pſ. CXLV, 6. proponit vocem וגדלותיך, ſed marginalis obſeruatio literam Iod omittit, hoc modo literas praeſcribens וגדולתך, quod forte ad formam huius vocabuli reſpexit, quae v. 3. adfuit. Nec putamus tamen cum MATTHAEO HILLERO † legendum eſſe וּגְדֻלוֹתֶיךָ atque praeterea quoque וּגְדֻלוֹתְךָ, ſed noſtram aſſertionem et hic repetimus. Vocabulum איביך hac ratione punctis notatum 1 Sam. XXIV, 5. conſpicitur : vbi Dauidis ſerui de vnico regis hoſte, nimirum Saule, tunc temporis in ſpelunca commorante, verba faciunt *t).* Simili ratione Abiſchai de vnico Saule

s) Vt iterum R. DAVID KIMCHI h. l. in *comment.* ſuo interpretatur : דבריך *Vox* דבריך׳ כתיב על הפרט וקרי דברך על הכלל: *in Cethibh particulariter ; ſed vox* דברך *in Keri vniuerſaliter,* accipienda eſt.

† De *arcano Kethibh et Keri* pag. 283. edit. Tubing. 1692. 8.

t) R. DAVID KIMCHI ad h. l. vtramque hanc lectionem coniungit : אנשי דוד אמרו לו אחר שהאל הבטיחך שיתן איביך בידיך הנה שאול ראש איביך והנה עתה הגיע היום כי הנה הוא בידך ולטעם זה פירשתי שכתיב איביך וקרי איבך: *Viri Dauidis,* inquiens, *dixere ad illum : quandoquidem Deus te bono eſſe animo iuſſit, fo-*

Saule 1 Sam. XXVI, 8. locutus est: et eadem huius vocis punctatio etiam Prou. XXIV, 17. offenditur. Dixit Dauid II. Sam. I, 16. דמיך *sanguis tuus*, vt nota marginalis praecipit, non sanguines, vt literae textus legi potuissent *u)*. *Claude*, inquit Iesaias cap. XXVI, 20. *mi popule* דלתיך *ianuam tuam post te, cum tua in conclauia abieris:* non ianuas tuas, quam punctationem textus literae admitterent.

Ab his euidentibus locis ad illa, quae in idiomate hebraeo minus euidentia sunt, progredimur. Verte ידיך *manum tuam*, non autem *manus tuas*, vt literae legi possent cum punctis vocalibus, I. Reg. XXII, 34. *x)* et II. Chron. XVIII, 33. dicitur. Sic quoque eadem vox ידיך eodem sensu legitur Ios. X, 8. et Prou. III, 27. Ita et haec vocabula עבדיך *seruus tuus* 1 Reg. I, 27. *y)* רגליך *pes tuus* Eccles. IV, 17. et שביליך Ps. LXXVII, 20. in singulari numero legenda obseruantur: vt iam *Iod* in fine vocibus אַתִּי 1 Reg. XIV, 2. II. Reg. IV, 15. 23. VIII, 1. Ezech. XXXVI, 13. לִמַּדְתִּי Ier. XIII, 21. et נְתַתִּיִ Ier. XXII, 23. adiectum taceamus.

In illa codicis sacri veteris testamenti parte, quae *chaldaea* dialecto primitus perscripta est, etiam huius generis exempla deprehendimus: quae, quamuis iam ad rem nostram proprie non faciant, quod de textus hebraei punctis et literis agimus: hoc tamen ex iis, quod dictum est, confirmari poterit, scilicet, quod per vniuersum codicem sacrum veteris testamenti ista punctorum ratio vsitata sit. Sic, vt aliqua saltem pro fine nostro ex Daniele proferamus: in illo cap. III, 27. l. 28. haec verba habentur: וִיהַבוּ גֶשְׁמֵיהוֹן. *et tradiderunt corpus suum*, quae huius vocis forma absque Iod v. 26. l. 27. גֶשְׁמְהוֹן legitur. Eodem *capite* versu 21. פַּטְשֵׁיהוֹן legitur, ad quod vocabulum Masorethae in margine: *Iod inter* ש *et* ט *positum abundare*, adscripserunt. Hinc IO. COCCEIVS in *lex. chald.* de hac voce, *illam absque Iod legi*, recte obseruat. IO. ANDR. DANZIVS *z)* multa ex profanis iudaeorum scriptis exempla collegit, in quibus *Iod talmudicis scheua* denotat: et si *duplicatum*, aut *triplicatum* est, illud *motum sui* indicare, ibidem asserit. Ita v. gr. iudaei dicunt atque scribunt עֲסִיקִינָן *loquimur a)*: בַּעְתֵּיהוֹן.

re, ut tradat hostes tuos in manus tuas: ecce Saul princeps hostium tuorum est: proinde nunc en aduenit iste dies; en enim ille in manu (potestate) *tua est* Et *hoc sensu expono, quod Cethibh habet* אויביך *hostes tuos; sed Keri* אויבך *hostem tuum.*

u) Vid. R. DAVID KIMCHI ad h. l.

x) Conf. R. DAVID KIMCHI ad h. l.

y) Euolu. R. DAVID KIMCHI in *comment.* ad h. l.

z) In *Rabbinis.* §. 15. 3. e. et § 16. f

a) Equidem IO. BVXTORFIVS in hac voce mendam suspicatur, quod in bibliis Venetis עֲסִיקִין, quasi participium *Peil* esset, scribatur: quam tamen euitare, si DANZIVM sequimur, possumus.

mens ipſorum: טַעֲמֵיהוֹן *mens, ratio ipſorum :* אֱינָשֵׁי *homines :* cetera. Item ſcribunt leguntque סְיָג *ſepes:* אַיְתִי *adduc:* תִּצְבְּיוּן *voles:* תִּצְבְּיָן *voletis :* cetera. Pro לְמֵידַר, vt celeberrimus noſter DANZIVS l. c. legit, IO. BVXTORFIVS *b)* legit ſcribitque לְמֵידַר : *ille* לְמֵיהָךְ; *hic* vero לְמֵיהָךְ *c)* legit. Certum eſt, quod chaldaei ſcheua ſub litera verbi praeformatiua magis, quam vocalem longam, frequentent *d)*. Nihilominus illa ipſe IO. BVXTORFIVS *e)* exempla probat, quibus noſtrum hoc asſertum itidem confirmatur. Ex. gr. אֵיתָא *veni ;* אֵיתוֹ *venite ;* וְיֵיתוֹן *et venient :* מֵיתָךְ *venire tuum*, ſeu aduentus tuus.

Euicta igitur genuina vocabuli חסידיך lectione ac ſcriptione, tenemus ſimul ſenſum huius commatis genuinum, ita exprimendum : *non permittes ſanctum tuum videre corruptionem.* Act. II, 27. XIII, 35. Ex hoc quoque intelligitur, quod notiones ex codice ſacro non prius tuto erui poſſint, quam nobis de genuina vocabulorum textus ſacri lectione et ſcriptione certo conſtet. Quod cum per philologiam criticamque ſacram fieri ſoleat et debeat: ſimul a nobis colligitur, quod haec media inter tricas et minutias Grammaticorum referenda non ſint. Ex dictis enim conſtat, quod illa interdum ad fundamenta fidei pertingant, ad minimum aduerſariis arma eripiant, quibus ſcripturam impugnare ſtudent.

Quae cum ita ſint, vt hucusque contendi, quod *litera Iod ſignum actualis motus literae* ſit: me non abs re facturum puto, ſi occaſionem de *veterum ſcriptura* publice dicendi Pridie Idûs Nou. arripiam. Nemo enim, vt exiſtimo, de illo dubitabit, quod hucusque expoſita lectionis exempla ex veterum ſcribendi conſuetudine prouenerint; quodque SPIRITVS ALTISSIMI totum hoc negotium in S.S. quam ſapientiſſime direxerit, omnes pii cultores eius concedent. Mearum igitur partium eſt, vt ad ſolennem hunc actum AVDITORES omnium ordinum ac dignitatum ea, qua par eſt, obſeruantia inuitem. Quibus vt precibus meis MAGNIFICVS DOMINVS PRO-RECTOR, ILLVSTRISSIMI DOMINI COMITES, ILLVSTRIS HVIVS ACADEMIAE PROCERES, ET RELIQVA DOCENTIVM DISCENTIVMQVE CORONA, beneuole reſpondeant, meque SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS CLEMENTISSIMIS MVNIFICENTISSIMISQVE HVIVS ATHENAEI NVTRITORIBVS ſubmiſſiſſimas deuotiſſimasque pro munere Philoſophiam publice in hac academia docendi clementiſſime mihi demandato gratias acturum patienter audiant : hoc eſt, quod ab ILLIS omnibus ſubmiſſe, reuerenter ac ſumma humanitate contendo. P. P. Ienae d. VIII. Idûs Nouemb. A. O. R. cIɔ Iɔ cc xxxx.

b) In *Lex. talmud.* ſub radice דּוּר *habitare.*
c) Vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. talmud.* ſub themate הוּךְ.
d). Vid. IO. ANDR. DANZIVS in *Compend. Grammat.* §. 47. l. 3. δ.
e) In *Lex. talmud.* ſub voce אתא col. 246. et col. 248.